



## **Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Antverpiae, 1647**

33. In fine vitæ Christi Vulneribus piè salutatis exspirat, Joannes Magirus,  
Germanus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

## III.

## AMATOR CRUCIFIXI

*In fine vitæ Crucifixi Vulneribus piè  
salutatis exspirat.*

33.  
IOANNES  
MAGIRVS  
Germanus.

**I**OANNES MAGIRVS, natione Germanus, patriâ Confluentinus ad Rhenum, ætatis initio, Societatis IESV ineundæ propositum conceperat; sed eo per alienas curas, ut fit, frigescente, ecce frater ejus germanus vitâ non diu ante functus, illi per quietem apparuit, levitatem & morum licentiam exprobrans, Sacrum è CHRISTI CRUCIFIXI latere manantem CRVOREM manu exceptum coniectando, cum his vocibus: vide, ne hic SANGVIS incassum pro te effusus sit.

Quo ille monito ictus, constantiam optimâ hereditate relictâ, ad Religionem attulit: & Societati partim docendo, partim concionando, partim missionibus obeundis bonam operam navavit. Tandem febris correptus, ubi ad extrema venit, cælesti Salvatoris CHRISTI, & S. Ignatij oblatâ specie, ita recreatus est, ut plus quàm humano gaudio delibutus, febres se longè sanitati ante ferre diceret.

Denique Sacramentis ritè perceptis,  
Socios

CVLTRIX CRVCIFIXI. 63

Socios ad obedientiam hortatus, & CHRISTI CRVCIFIXI SACRIS VVLNERIBVS pijsimè salutatis, commigravit, Spiræ, viii. Septemb. Anno M.DC.IX, ætatis LI. Religionis xxviii.

*Litt. Soc. Elogium vita.*

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

*Vltimam vitæ noctem orando, & intuendo Christi Crucifixi imaginem iucundè transigit.*

IACOBVS VVICVS Polonus ad animarum quæstum faciendum semper fuit attentissimus. Sensu pietatis tenerissimo ad omnem rerum piarum tractationem. In extremo vitæ actu Sanctum Augustinum imitatus, Psalmos de Pœnitentiâ sibi prælegi mandavit, quos non sine largo fletu meditabatur.

Noctem ultimam susceptis Sacramentis solidam orando transegit, oculis in CHRISTI CRVCIFIXI effigiem defixis: manibus ad pietatem conjunctis. Obijt magna sanctitatis opinione Cracoviæ xxvii. Iulij, An. salutis M.D.XCVII. ætatis LVII. Religionis xxxii.

*Litt. Polon. Elogium. Bibliotheca Soc.*